



The Holy See

*Venerabiles Fratres,
Salutem et Apostolicam Benedictionem*

Mirari vos arbitramur, quod ab imposita Nostrae humilitati Ecclesiae universae procuratione nondum literas ad vos dederimus, prout et consuetudo vel a primis temporibus invecata, et benevolentia in vos Nostra postulasset. Erat id quidem Nobis maxime in votis, ut dilataremus illico super vos cor Nostrum, atque in communicatione spiritus ea vos adloqueremur voce, qua confirmare fratres in persona beati Petri iussi fuimus (1).

Verum probe nostis, quam malorum aerumnarumque procella primis pontificatus Nostri momentis in eam subito altitudinem maris acti fuerimus, in qua, nisi dextera Dei fecisset virtutem, ex teterrima impiorum conspiratione Nos congemuissetis demersos. Refugit animus tristissima tot discriminum recensione susceptum inde moerorem refricare; patrique potius omnis consolationis benedicimus, qui, disiectis perduellibus, praesenti Nos eripuit periculo, atque, turbulentissima sedata tempestate, dedit a metu respirare. Proposuimus illico vobiscum communicare consilia ad sanandas contritiones Israel; sed ingens curarum moles, quibus in concilianda publici ordinis restitutione obruti fuimus, moram tunc Nostrae huic obiecit voluntati.

Nova interim accessit causa silentii ob factiosorum insolentiam, qui signa perduellionis iterum attollere conati sunt. Nos quidem tantam hominum pervicaciam, quorum effrenatus furor impunitate diuturna impensaeque Nostrae benignitatis indulgentia non deliniri, sed ali potius conspiciebatur, debuimus tandem ingenti licet curo moerore, ex collata Nobis divinitus auctoritate, virga compescere (2); ex quo, prout iam probe conicere potestis, operosior in dies instantia Nostra quotidiana facta est.

Ast cum, quod ipsum iisdem ex causis distuleramus, iam possessionem pontificatus in Lateranensi basilica ex more institutoque maiorum adiverimus, omni demum abiecta cunctatione, ad vos properamus, venerabiles fratres, testemque Nostrae erga vos voluntatis epistolam damus laetissimo hoc die, quo de virginis sanctissimae in coelum Assumptae triumpho sollemnia festa peragimus, ut quam patronam ac sospitam inter maximas quasque calamitates persensimus, ipsa

et scribentibus ad vos Nobis adstet propitia mentemque Nostram coelesti afflatu suo in ea inducat consilia, quae Christiano gregi futura sint quammaxime salutaria.

Moerentes quidem animoque tristitia confecto venimus ad vos, quos pro vestro in religionem studio, ex tanta, in qua ipsa versatur, temporum acerbitate maxime anxios novimus. Vere enim dixerimus, horam nunc esse potestatis tenebrarum, ad cribrandos, sicut triticum, filios electionis (3). Vere "luxit et defluxit terra, infecta ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum". (4)

Loquimur, venerabiles fratres, quae vestris ipsi oculis conspiciatis, quae communibus idcirco lacrymis ingemiscimus. Alacris exultat improbitas, scientia impudens, dissoluta licentia. Despicitur sanctitas sacrorum, et quae magnam vim magnamque necessitatem possidet, divini cultus maiestas, ab hominibus nequam improbatur, polluitur, habetur ludibrio: sana hinc pervertitur doctrina erroresque omnis generis disseminantur audacter. Non leges sacrorum, non iura, non instituta, non sanctiores quaelibet disciplinae tutae sunt ab audacia loquentium iniqua. Vexatur acerrime Romana haec Nostra beatissimi Petri Sedes, in qua posuit Christus Ecclesiae firmamentum, et vincula unitatis in dies magis labefactantur, abrumpuntur. Divina Ecclesiae auctoritas oppugnatur, ipsiusque iuribus convulsis, substernitur ipsa terrenis rationibus, ac per summam iniuriam odio populorum subiicitur, in turpem redacta servitutem. Debita episcopis obedientia infringitur eorumque iura conculcantur. Personant horrendum in modum academiae ac gymnasia novis opinionum monstris, quibus non occulte amplius et cuniculis petitur catholica fides, sed horrificum ac nefarium ei bellum aperte iam et propalam infertur. Institutis enim exemploque praeceptorum, corruptis adolescentium animis, ingens religionis clades morumque perversitas teterrima percrebuit. Hinc porro freno religionis sanctissimae proiecto, per quam unam regna consistunt, dominatusque vis ac robur firmatur, conspiciamus ordinis publici exitium, labem principatus omnisque legitimae potestatis conversionem invalescere. Quae quidem tanta calamitatum congeries ex illarum in primis conspiratione societatum est repetenda, in quas quidquid in haeresibus et in sceleratissimis quibusque sectis sacrilegum, flagitiosum ac blasphemum est, quasi in sentinam quamdam, cum omnium sordium concretionem confluit.

Haec, venerabiles fratres, et alia complura et fortassis etiam graviora, quae in praesens percensere longum esset ac vos probe nostis, in dolore esse Nos iubent, acerbo sane ac diuturno, quos in Cathedra principis apostolorum constitutos zelus universae domus Dei comedat prae caeteris, opus est. Verum cum eo Nos loci positos esse agnoscamus, quo deplorare dumtaxat innumera haec mala non sufficiat, nisi et ea convellere pro viribus connitamur; ad opem fidei vestrae confugimus, vestramque pro catholici gregis salute sollicitudinem advocamus, venerabiles fratres, quorum spectat virtus ac religio et singularis prudentia et sedula adsiduitas animos Nobis addit, atque in tanta rerum asperitate afflictos consolatione sustentat periucunda. Nostrarum quippe est partium, vocem tollere omniaque conari, ne aper de silva demoliatur vineam, neve lupi mactent gregem: Nostrum est, oves in ea dumtaxat pabula compellere, quae salutaria iisdem sint, nec vel tenui suspicione perniciosa, Absit, carissimi, absit, ut, quando tanta premant mala, tanta

impendeant discrimina, suo desint muneri pastores, et perculsi metu dimittant oves, vel, abiecta cura gregis, otio torpeant ac desidia. Agamus idcirco in unitate spiritus communem Nostram seu verius Dei causam, et contra communes hostes pro totius populi salute una omnium sit vigilantia, una contentio.

Id porro apprime praestabitis, si, quod vestri muneris ratio postulat, attendatis vobis, et doctrinae, illud assidue revolventes animo, "universalem Ecclesiam quacumque novitate pulsari" (5), atque ex sancti Agathonis pontificis monitu (6) "nihil de iis, quae sunt regulariter definita minui debere, nihil mutari, nihil adiacere, sed ea et verbis et sensibus illibata esse custodienda". Immota inde consistet firmitas unitatis quae hac beati Petri Cathedra suo veluti fundamento continetur, ut unde in Ecclesias omnes venerandae communionis iura dimanant, ibi universis et murus sit, et securitas, et portus expers fluctuum et bonorum thesaurus innumerabilium (7). Ad eorum itaque retundendam audaciam, qui vel iura Sanctae huius Sedis infringere conantur, vel dirimere Ecclesiarum curo ipsa coniunctionem, qua una eadem nituntur et vigent, maximum fidei in eam ac venerationis sinceræ studium inculcate, inclamantes cum sancto Cypriano "falso confidere se esse in Ecclesia, qui Cathedram Petri deserat, super quam fundata est Ecclesia" (8).

In hoc ideo elaborandum vobis est adsidueque vigilandum, ut fidei depositum custodiatur in tanta hominum impiorum conspiratione, quam ad illud diripiendum perdendumque factam lamentamur. Meminerint omnes, iudicium de sana doctrina, qua populi imbuendi sunt, atque Ecclesiae universae regimen et administrationem penes Romanum Pontificem esse, cui "plena pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam potestas a Christo Domino tradita fuit", uti patres Florentini concilii diserte declararunt (9).

Est autem singulorum episcoporum Cathedrae Petri fidelissime adhaerere, depositum sancte religioseque custodire et pascere, qui in eis est, gregem Dei. Presbyteri vero subiecti sint, oportet, episcopis, quos "uti animae parentes suscipiendos ab ipsis esse", monet Hieronymus (10): nec unquam obliviscantur, se vetustis etiam canonibus vetari, quidpiam in suscepto ministerio agere, ac docendi et concionandi munus sibi sumere "sine sententia episcopi, cuius fidei populus est creditus, et a quo pro animabus ratio exigitur" (11). Certum denique firmumque sit, eos omnes, qui adversus praestitutum hunc ordinem aliquid moliantur, statum Ecclesiae, quantum in ipsis est, perturbare.

Nefas porro esset atque ab eo venerationis studio prorsus alienum, qua Ecclesiae leges sunt excipiendae, sancitam ab ipsa disciplinam, qua et sacrorum procuratio, et morum norma, et iurium Ecclesiae ministrorumque eius ratio continetur, vesana opinandi libidine improbari, vel ut certis iuris naturae principiis infestam notari vel mancā dici atque imperfectam civili auctoritati subiectam.

Cum autem, ut Tridentinorum patrum verbis utamur, constet Ecclesiam "eruditam fuisse a Christo Iesu eiusque apostolis atque a Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edoceri"

(12), absurdum plane est, ac maxime in eam iniuriosum, "restaurationem ac regenerationem" quamdam obtrudi, quasi necessariam, ut eius incolumitati et incremento consulatur, perinde ac si censi ipsa possit vel defectui, vel obscurati, vel aliis huiuscemodi incommodis obnoxia; quo quidem molimine eo spectant novatores, ut "recentis humanae institutionis iaciantur fundamenta", illudque ipsum eveniat, quod detestatur Cyprianus, ut quae divina res est, "humana fiat Ecclesia" (13). Perpendant vero, qui consilia id genus machinantur, uni Romano Pontifici ex sancti Leonis testimonio "canonum dispensationem esse creditam", ipsiusque dumtaxat esse, non vero privati hominis, "de paternarum regulis sanctionum" quidpiam decernere, atque ita, quemadmodum scribit sanctus Gelasius (14), decreta "canonum librare decessorumque praecepta metiri, ut quae necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deprecatur, adhibita consideratione diligenti, temperentur".

Hic autem vestram volumus excitatam pro religione constantiam adversus foedissimam in clericalem coelibatum coniurationem, quam nostis effervescente in dies latius, connitentibus cum perditissimis Nostri aevi philosophis nonnullis etiam ex ipso ecclesiastico ordine, qui personae obliti munerisque sui, ac blanditiis abrepti voluptatum, eo licentiae proruperunt, ut publicas etiam atque iteratus aliquibus in locis ausi sint adhibere principibus postulationes ad disciplinam illam sanctissimam perfringendam. Sed piget de turpissimis hisce conatibus longo vos sermone distingere, vestraeque potius religioni fidentes committimus, ut legem maximi momenti, in quam lascivientium tela undique sunt intenta, sanctam, tectam custodiri, vindicari, defendi, ex sacrorum canonum praescripto, omni ope contenditis.

Honorabile deinde christianorum connubium, quod "sacramentum magnum" nuncupavit Paulus "in Christo et Ecclesia" (15), communes Nostras curas efflagitat, ne quid adversus ipsius sanctitatem, ac de indissolubili eiusdem vinculo minus recte sentiat vel tentetur induci. Impense id iam commendaret suis ad vos literis felicitis recordationis praedecessor Noster Pius VIII. Adhuc tamen infesta eidem molimina succrescunt. Docendi itaque sunt sedulo populi, matrimonium semel rite initum dirimi amplius non posse, nexisque connubio Deum indivisse perpetuam vitae societatem nodumque necessitudinis, qui exsolvi, nisi morte, non possit, Memores, sacris illud rebus adnumerari et Ecclesiae proinde subiici, praestitutas de ipso eiusdem Ecclesiae leges habeant ob oculos, iisque pareant sancte accurateque, ex quarum exequutione omnino pendet eiusdem connubii vis, robur ac iusta consociatio. Caveant, ne quod sacrorum canonum placitis conciliorumque decretis officiat, ulla ratione admittant, probe gnari, exitus infelices illa habitura esse coniugia, quae vel adversus Ecclesiae disciplinam, vel non propitiato prius Deo, vel solo aestu libidinis iungantur, quin de sacramento ac de mysteriis, quae illo significantur, ulla te ne at sponsos cogitatio.

Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus affligi in praesens comploramus Ecclesiam indifferentismum, scilicet, seu pravam illam opinionem, quae improborum fraude ex omni parte percubuit, qualibet fidei professione aeternam posse animae salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur. At facili sane negotio in re perspicua

planeque evidenti, errorem exitiosissimum a populis vestrae curae concreditus propelletis. Admonente apostolo (16), "unum esse Deum, unam fidem, unum baptisma", extimescant, qui e religione qualibet patere ad portum beatitudinis aditum comminiscuntur, reputentque animo ex ipsius Servatoris testimonio, "esse se contra Christum, quia cum Christo non sunt" (17) seque infeliciter dispergere, qui cum ipso non colligunt, ideoque "absque dubio in aeternum esse perituros, nisi teneant catholicam fidem, eamque integram inviolatamque servaverint" (18) Hieronymum audiant; qui, cum in tres partes schismate scissa esset Ecclesia, narrat, se tenacem propositi, quando aliquis rapere ipsum ad se nitebatur, constanter clamitasse: "Si quis Cathedrae Petri iungitur, meus est." (19) Falso autem sibi quis blandiretur, quod et ipse in aqua sit regeneratus, Opportune enim responderet Augustinus (20): "Ipsam formam habet etiam sarmentum, quod praecisum est de vite: sed quid illi prodest forma, si non vivit de radice?"

Atque ex hoc putidissimo indifferentismi fonte absurda illa fluit ac erronea sententia, seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet "libertatem conscientiae". Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit plena illa atque immoderata libertas opinionum, quae in sacrae et civilis rei labem late grassatur, dictantibus per summam impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in religionem promanare. "At quae peior mors animae quam libertas erroris!" inquit Augustinus (21). Freno quippe omni adempto, quo homines contineantur in semitis veritatis, prorupte iam in praeceps ipsorum natura ad malum inclinata, vere apertum dicimus "puteum abyssi" (22), e quo vidit Ioannes ascendere fumum, quo obscuratus est sol, locustis ex eo prodeuntibus in vastitatem terrae. Inde enim animo rum immutationes, inde adolescentium in deteriora corruptio, inde in populo sacrorum rerumque ac legum sanctissimarum contemptus, inde uno verba pestis rei publicae prae qualibet capitalior, cum experientia teste vel a prima antiquitate notum sit, civitates, quae opibus, imperio, gloria floruerunt, hoc uno male concidisse, libertate immoderata opinionum, licentia concionum, rerum novandarum cupiditate.

Huc spectat deterrima illa ac numquam satis execranda et detestabilis libertas artis librariae ad scripta quaelibet edenda in vulgus, quam tanto convicio audent nonnulli efflagitare ac promovere. Perhorrescimus, venerabiles fratres, intuentes, quibus monstris doctrinarum, seu potius quibus errorum portentis obruamur, quae longe ac late ubique disseminantur ingenti librorum multitudine libellisque et scriptis mole quidem exiguis, malitia tamen permagnis, e quibus maledictionem egressam illacrymamur super faciem terrae. Sunt tamen, proh dolor! qui eo impudentiae abripiantur, ut asserant pugnaciter, hanc errorum colluviem inde prorumpentem satis cumulate compensari ex libro aliquo, qui in hac tanta pravitate tempestate ad religionem ac veritatem propugnandam edatur. Nefas profecto est, omnique iure improbatum, patrari data opera malum certum ac maius, quia spes sit, inde boni aliquid habitum iri. Numquid venena libere spargi ac publice vendi comportarique, imo et obbidi debere, sanus quis dixerit, quod remedii quidpiam habeatur, quo qui utuntur, eripi eos ex interitu identidem contingat?

Verum longe alia fuit Ecclesiae disciplina in excindenda malorum librorum peste vel ab apostolorum aetate, quos legimus grandem librorum vim publice combussisse (23). Satis sit, leges

in concilio Lateranensi V in eam rem datas perlegere, et constitutionem, quae deinceps a Leone X fel. rec, praedecessore Nostro fuit edita, ne "id quod ad fidei augmentum ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christi fidelium salutis detrimentum pariat" (24). Id quidem et Tridentinis patribus maximae curae fuit, qui remedium tanto huic male adhibuere, edito saluberrimo decreto de indice librorum, quibus impura doctrina contineretur, conficiendo (25). "Pugnandum est acriter", inquit Clemens XIII tel. rec, praedecessor Noster in suis de noxiorum librorum proscriptione encyclicis literis (26), "pugnandum est acriter, quantum res ipsa efflagitat, et pro viribus tot librorum mortifera exterminanda pernicies: nunquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitatis facinorosa elementa in flammis combusta depereant." Ex hac itaque constanti omnium aetatum sollicitudine, qua semper Sancta haec Apostolica Sedes suspectos et noxios libros damnare et de hominum manibus extorquere enisa est, patet luculentissime, quantopere falsa, temeraria eidemque Apostolicae Sedi iniuriosa, et fecunda malorum in christiano populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum veluti gravem nimis et onerosam reiiciunt, sed eo etiam improbitatis progrediuntur, et eam praecedent a recti iuris principiis abhorrere, iusque illius decernendae habendaeque audeant Ecclesiae denegare.

Cum autem circumlatis in vulgus scriptis doctrinas quasdam promulgari acceperuimus, quibus debita erga principes fides atque submissio labefactatur, facesque perduellionis ubique incenduntur: cavendum maxime erit, ne populi inde decepti a recti semita abducantur. Animadvertant omnes, "non esse", iuxta apostoli monitum, "potestatem nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, et qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt" (27). Quocirca et divina et humana iura in eos clamant, qui turpissimis perduellionis seditionumque machinationibus a fide in principes desciscere ipsosque ab imperio deturbare connituntur.

Atque hac plane ex causa, ne tanta se turpitudine foedarent veteres christiani, saevientibus licet persecutionibus, optime tamen eos de imperatoribus ac de imperii incolumitate meritos fuisse constat, idque nedum fide in iis, quae sibi mandabantur religioni non contraria, accurate promptequae perficiendis, sed et constantia et effuso etiam in praeliis sanguine luculentissime comprobasse. "Milites christiani", ait sanctus Augustinus (28), "servierunt imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in coelis erat. Distinguebant Dominum aeternum a domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum aeternum etiam domino temporali. "Haec quidem sibi ob oculos proposuerat sanctus Mauritius martyr invictus, legionis Thebanae primicerius, quando, uti sanctus Eucherius refert, haec respondit imperatori (29). "Milites sumus, imperator, tui, sed tamen servi, quod libere confitemur, Dei." Et nunc non nos haec ultima vitae necessitas in rebellionem coegit: tenemus ecce arma, et non resistimus, quia mori, quam occidi satius volumus." Quae quidem veterum christianorum in principes fides eo etiam illustrior effulget, si perpendatur cum Tertulliano (30) tunc temporis christianis non defuisse vim numerorum et copiarum, si hostes exertos agere voluissent. "Externi sumus", inquit ipsi, "et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus,

decurias, palatium, senatum, forum ... Cui bello non idonei, non prompti fuisset, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere ... ? Si tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abruptissemus a vobis, suffudisset utique pudore dominationem vestram tot qualiumcumque amissio civium, imo et ipsa destitutione punisset. Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram ... quaesissetis, quibus imperaretis: plures hostes, quam cives vobis remansissent: nunc autem pauciores hostes habetis prae multitudine Christianorum."

Praeclara haec immobilis subiectionis in principes exempla, quae ex sanctissimis christianae religionis praeceptis necessario proficiscebantur, detestandam illorum insolentiam et improbitatem condemnant, qui proiecta effrenataque procacis libertatis cupiditate aestuantes, toti in eo sunt, ut iura quaeque principatuum labefactent atque convellant, servitutem sub libertatis specie populis illaturi. Huc sane scelestissima deliramenta consiliaque conspirarunt Waldensium, Beguardorum, Wiclefistarum aliorumque huiusmodi filiorum Belial, qui humani generis sordes ac dedecora fuere, merito idcirco ab Apostolica hac Sede toties anathemate confixi. Nec alia profecto ex causa omnes vires intendunt veteratores isti, nisi ut cum Luthero ovantes gratulari sibi possint, "liberos se esse ab omnibus", quod ut facilius celeriusque assequantur, flagitiosora quaelibet audacissime aggrediuntur,

Neque laetiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discipiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta extitit ac salutaris.

At ad caeteras acerbissimas causas, quibus solliciti sumus, et in communi discrimine dolore quodam praecipuo angimur, accessere consociationes quaedam statique coetus, quibus, quasi agmine facto cum cuiuscumque etiam falsae religionis ac cultus sectatoribus, simulata quidem in religionem pietate, vere tamen novitatis seditionumque ubique promovendarum cupidine, libertas omnis generis praedicatur, perturbationes in sacram et civilem rem excitantur, sanctior quaelibet auctoritas discerpitur.

Haec perdolenti sane animo, fidentes tamen in eo, qui imperat ventis et facit tranquillitatem, scribimus ad vos, venerabiles fratres, ut induit scutum fidei contendatis praeliari strenue praelia Domini. Ad vos potissimum pertinet, stare pro mure contra omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Exerite gladium spiritus, quod est verbum Dei, habeantque a vobis panem, qui esuriunt iustitiam. Adsciti, ut sitis cultores navi in vinea Domini, id unum agite, in hoc simul laborate, ut radix quaelibet amaritudinis ex agro vobis commisso evellatur, omnique enecato semine vitiorum convalescat ibi seges laeta virtutum. Eos in primis affectu paterno complexi, qui ad sacras praesertim disciplinas, et ad philosophicas quaestiones animum appulere, hortatores auctoresque iisdem sitis, ne solius ingenii sui viribus freti imprudenter a veritatis semita in viam abeant impiorum. Meminerint, Deum esse sapientiae ducem emendatoremque sapientium (31), ac

fieri non posse, ut sine Deo Deuro discamus, qui per verbum docet homines scire Deum (32). Superbi, seu potius insipientis hominis est, fidei mysteria, quae exsuperant omnem sensum, humanis examinare ponderibus nostraeque mentis rationi confidere, quae naturae humanae conditione debilis est et infirma. Ceterum communibus hisce votis pro rei et sacrae et publicae incolumitate carissimi in Christo filii Nostri viri principes sua faveant ope et auctoritate, quam sibi collatam considerent non solum ad mundi reginem, sed maxime ad Ecclesiae praesidium. Animadvertant sedulo, pro illorum imperio et quiete geri, quidquid pro Ecclesiae salute laboratur; imo pluris sibi suadeant fidei causam esse debere, quam regni, magnuroque sibi esse perpendant, dicimus cum s. Leone pontifice, "si ipsoruro diademati de manu Domini etiam fidei addatur corona." Positi quasi parentes et tutores populorum, veram, constantem, opulentiam iis quietem parient et tranquillitatem, si in eam potissimum curam incumbant, ut incolumis sit religio et pietas in Deum, qui habet scriptum in femore: "rex regum, et Dominus dominantium" (33).

Sed ut omnia haec prospere ac feliciter eveniant, levemus oculos manusque ad sanctissimam Virginem Mariam, quae sola universas haereses interemit, Nostraque maxima fiducia, imo tota ratio est spei Nostrae (34), Suo ipsa patrocínio in tanta dominici gregis necessitate studiis, consiliis actionibusque Nostris exitus secundissimos imploret. Id et ab apostolorum principe Petro et ab eius coapostolo Paulo humili prece efflagitemus, ut stetis omnes pro muro, ne fundamentum aliud ponatur praeter id quod positum est. Hac iucunda spe freti confidimus, auctorem consummatoremque fidei Iesum Christum consolaturum tandem fore Nos omnes in tribulationibus quae invenerunt Nos nimis, coelestisque auxilii auspicem Apostolicam benedictionem, vobis, venerabiles fratres, et ovibus vestrae curae traditis peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem decimo octavo kalendas septembris die solemnii Assumptionis eiusdem Beatae Virginis Mariae anno dominicae incarnationis millesimo octingentesimo trigesimo secundo, pontificatus Nostri anno secundo.

(1) Luc. 22, 32.

(2) 1. Corinth. 4, 21.

(3) Luc. 22, 53.

(4) Isaiae 24, 5.

(5) S. Caelest. PP. ep. 21 ad episc. Galliar.

(6) S. Agatho PP. ep. ad imp. apud. Labb. tom. 2 pag 235 ed. Mansi.

(7) S. Innocent. PP, ep. 11 apud Constat.

(8) S.Cypr. de unitate eccles.

(9) Conc, Flor. sess. 25 in definit. apud Labb. tom. 18, col. 527 edit. Venet.

(10) S. Hieron. ep. 2 ad Nepot. a. 1, 24.

(11) Ex can. apo 38 apud Labb. tom. 1, pag. 38 edit. Mansi

(12) Conc. Trid. sess. 13 dec. de Eucharist, in prooem.

(13) S. Cypr. ep. 52 edit. Baluz.

(14) S. Gelasius PP. in ep, ad episc. Lucaniae.

(15) Ad Hebr, 13, 4.

(16) Ad Ephes. 4, 5

(17) Luc, 11, 23

(18) Symbol. s. Athanas,

(19) S. Hier. ep, 57,

(20) S. Aug. in psal. contra part. Donat.

(21) S. Aug. ep. 166.

(22) Apocalyps. 9, 3.

(23) Act. Apost. 19, 19.

(24) Act. conc. Lateran. V, sess, 10 ubi refertur const. Leonis X legenda est anterior constitutio Alexandri VI Inter multiplices in qua multa ad rem.

(25) Conc. Trid. sess. 18 et 25.

(26) Lit. Clem, XIII, Christianae, 25 nov. 1766.

(27) Ad Rom, 13, 2.

(28) S. Aug. in psalt. 124 n. 7.

(29) S. Eucher apud Ruinart. Act. ss. mm de SS, Maurit. et Soc. n. 4.

(30) Tertul. in apologet cap. 37.

(31) Sap. 7, 15.

(32) S. Irenaeus lib. 14 cap. 10.

(33) Apoc. 18, 16,

(34) Ex s. Bernardo serm, de nat. B, M, V, § 7.

*AAS 4 (1876), 336-345.

H. Denzinger, *Enchiridion symbolorum definitionum et declarationum de rebus fidei et morum*, 43a ediz. bilingue, a c. di Peter Hünermann, Centro editoriale dehoniano, Bologna, 2012, p. 976-977.